

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

S. D. omnibus lecturis has literas

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Eximia pietate & doctrina prædito, D.
Gabrieli, pastori Ecclesiæ Torgen-
sis, amico suo præcipuo,

S. D. Hic sacerdos mancus, mihi & cæteris,
qui hic sunt, diu notus fuit: manum in quadam ri-
xa sine sua culpa amisit, ut aulici sciunt. Habet ux-
orem & filiam, piâs & pudicas, & sub nobilibus du-
rîer uiuit. Diu disputatum fuit ante hoc tempus,
an, quia mancus esset, possit fungi ministerio. Et cõ-
cessum est, ut fungeretur: & scimus mediocrem in-
dustriam eius esse. Rogamus, D. Pastor doctor Po-
meranus et ego, si Ecclesiæ in Vthusen opus est pa-
store, ut de hoc bono homine deliberes. Bene ua-
le. Die 6 Iulij, Anno 1542.

Philippus Melanchthon.

S. D. omnibus lecturis has
litteras.

Ego Philippus Melanchthon testor, hunc hono-
stum & doctum uirum hospitem, natum in Panno-
nia, Christophorum Lippensem, amplius biennio
in Academia Vitebergensi, summa cum laude mo-
destiæ & diligentie in literis cõmoratum esse. Stu-
diosè autem didicit Latinam & Græcam linguam:
& ut fontes cœlestis doctrinæ ei patêrent, attigit
Ebream linguam. Ingressus igitur in studia Philo-
sophiæ & doctrinæ Ecclesiasticæ, in uiroq; genere
ita

ita proficit, ut usui Reipublicæ alijs erudiendis esse possit: ac de doctrina coelesti piè amplectitur cōsensum catholicæ Ecclesiæ Dei, quem & nostra Ecclesia sequitur, ac à fanaticis & seditiosis opinionibus abhorret. Cum autem bellum ad Albim motum fugeret, & loca tranquilliora quæsiturus esset, ne quis de eius peregrinatione secus suspicaretur, hoc discedenti ex nostra Academia testimoniū dedit: & adfirmo cum honestis moribus præditum esse, & doctrina rectè institutum. Quare & omnes honestos homines adhortor, ut officia modestis hospitibus debita, huic Christophoro etiā præstent: quod & Deo gratum est, & cōueniens communi hominum societati, & nature sæderi, ut cum peregrinatio propter doctrinā & multas alias honestas causas necessaria sit hominibus, & simul plena laborū & periculorum, iuventur & tegantur exteri, qui probabiles causas habent itinerum. Sicut & ueteres, qui iusticiæ officia magis intellexerunt & coluerunt, diligenter præceperūt beneficentiam erga hospites, & quidem eos Deo curæ esse scripserunt. Notum est illud Homeri,

Ζεὺς τ' ἐπιτιμῆται, ἰμετάωμ, τε ξεινώντε,
 ξείνιος, ὄς ξείνοισι πᾶσι δόλοισι πᾶσι δᾶσται.

Date Vitebergæ, Die S. Martini Pannonij,

Anno 1546.

S. D.